

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA Apud GEBETHNER ET WOLF VARSAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 15	IN ANGLIA Apud BURNS AND OATES LONDON W. 28, Orchard Street.	IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTR. Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr. NEW YORK 52, Barclay Street.	IN GERMANIA Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr. RATISBONAE in BAVARIA	IN CANADA Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame.
--	--	---	--	--

RERUM INDEX

DE OPIFICUM DESERTIONIBUS	P. Rossani.
DE SAECULO XIX IUDICIUM	Senior.
LITTERATORUM HOMINUM AERUMNAE ET GAUDIA	A. Bartoli.
CRUCIS HISTORIA	M. Armellini.
BIBLICAE ANTIQUITATIS VESTIGATIONES NOVISSIMAE	(ex ineditis) G. P.
CHRISTUS HOMO A TRIUMPHO AD SEPULCRUM	Laelius.
DE LIBRORUM COMMERCIO APUD ROMANOS	D. Tamilia.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE	P. Angelini.
EX RUMENIA	B. Athanasius.
COMMUNIA VITAE - De Paschalibus dapibus	H. D. V. Pieralice.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO	I. F.
AENIGMATA	I. Battanius.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Automobile anfibium - Novum ignis lucisque genus - Num in luce vita? - Arcana lacuum connubia - loci	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCIUM

M DCCCCI

LIBRI ET COMMENTARII RECENS DONO ACCEPTI

CARLO PASCAL, *Il Carme LXXVI di Catullo*. - Catinae edid. officina Sicula Di Monaco et Mollica, 1900.
 - *Di un libro recente su M. Tullio Cicerone*. - Tiferni edid. Salvator Lapi, 1901.
 VINCENZO COSTANZI, *Briciole polemiche sul così detto Incendio Neroniano*. - Augustae Taurin. edid. Vincentius Bona, 1901.

L'amico della gioventù. Singulis hebdomadis prodit Veronae.

Atene e Roma. Commentarius cura Italiae Societatis ad litterarum studia vulganda editus Florentiae-Romae.

Index rerum an. IV, n. 26: L'elemento comico nell' «Elena» di Euripide (*V. Brugnola*) - Le traduzioni dei classici (*L. Bucciarelli*) - La musica antica e il *περι μουσικῆς* di Plutarco nell'edizione Weil e Reinach (*F. Ramorino*) - Recensioni - Questioni - Atti della Società.

L'Ateneo. De litteris et bonis artibus commentarius. Bis in mense prodit Romae.

Atti dell'Accademia Properziana del Subasio. Assisii.

Bollettino del museo civico di Padova.

Cosmos Catholicus. Commentarius menstruus. Romae.

La Croce. Singulis hebdomadis prodit Neapoli.

Divus Thomas. Commentarius inserviens Academiae et Lyceis scholasticam doctrinam sectantibus. Placentiae.

Emporium. Recensio menstrua litterarum et artium. Bergomi.

Index rerum fasc. mens. Febr. vol. XIII: Spedizione del Duca degli Abruzzi: La Conferenza al Collegio Romano (*G. Roncagli*) - La pittura all'Esposizione di Parigi. III (*V. Pica*) - Giuseppe Verdi (*P. Bettoli*) - Arte retrospettiva: Sesta esposizione del Gabinetto delle stampe a Roma (*R. Artoli*) - Il beato Simonino (*C. Ricci*) - Matera (*T. Bazzi*) - I sigilli attraverso la storia (*L. Falconi*) - Miscellanea.

Ephemerides Liturgicae. Singulis mensibus Romae prodeunt cura Congr. Vincentianae.

Giornale Arcadico di scienze, lettere ed arti. Romae.

Index rerum an. IV, num. 39: Epigrafe a Leone XIII (*D. Farabulini*) - Importanza dello studio di Dante e la politica nelle opere di Dante (*G. Poletto*) - Benvenuto Cellini e i suoi tempi (*O. P. Conti*) - Nel Gran Deserto Americano (*U. Mioni*) - Magia e pregiudizi in P. Ovidio Nasone (*M. Belli*) - Bibliografia, etc.

Il Marzocco. De litteris et artibus commentarius. Florentiae.

Minerva. Recensionum recensio, moderatore Friderico Garlanda. Romae.

Singulis dominicis diebus prodit, scripta maximi momenti, quae sive in praecipuis commentariis, sive in libris vulgantur, accuratissime referens.

Index rerum an. XI, vol. XXI, num. 15: Il "prossimo Waterloo" (a proposito di una recente pubblicazione inglese) - La fantasia nel secolo XIX - La maximita e i canoni ordinari - Il clero francese: I gesuiti - Matilde Serao - Alcune prigioni francesi e i loro inquilini - Nuove lettere di Napoleone I - Sommari - Spigolature - Notizie bibliografiche - Varietà scientifiche, etc.

Nuntius Romanus. Romae.

L'Oriente Serafico. Commentarius editus cura fr. Minorum S. Mariae Angelorum ad Assisium.

L'Osservatore Cattolico. Diarium Mediolanense.

La Riconoscenza. Commentarius bis in mense editus Tergeste.

Rivista di filologia e d'istruzione classica. H. Stampini mod. prodit Aug. Taurinorum.

Rivista Internazionale di scienze sociali e discipline ausiliarie. Semel in mense prodit Romae.

Index rerum an. IX, vol. XXV, fasc. XCVIII: L'enciclica «Graves de communi re» - La parola del Papa in quest'ora solenne (*G. Toniolo*) - Il principio etico nella politica sociale: Gustav Cohn e Werner Sombart (*E. Agliardi*) - I cattolici e il rinascimento municipale (*A. Mauri*) - Sunto delle riviste - Esame d'opere - Note bibliografiche - Cronaca sociale.

Rivista politica e letteraria. Semel in mense prodit Romae.

Rivista di storia antica e scienze affini. Messanae.

La scuola secondaria italiana. Singulis hebdomadis prodit Mediolani.

Index rerum an. V, n. 20: Il nuovo regolamento per i ginnasi e licei - Il nuovo regolamento 3 febbraio 1901 (*B. B.*) - Il nuovo regolamento e le lezioni private - L'illegalità dell'art. 29 (*L'innominato*) - Il testamento dell'onorevole Gallo (*E.*) - Che cosa farà il nuovo Ministro? - Come si finisce! - Dalla Capitale (*Nemo quisquam*) - La relazione sul Congresso internazionale dell'insegnamento tecnico a Parigi - Bibliografia, etc.

Valle di Pompei. Commentarius editus ad solamen puerorum, qui, cum parentes habeant in vincula coniectos, hospitio ad Pompeios accepti sunt.

La vera Roma. Singulis hebdomadis prodit Romae.

La Vita internazionale. Bis in mense prodit Mediolani.

Vittoria Colonna. Commentarius ad Italas mulieres. Bis in mense prodit Neapoli.

Studien und Mittheilungen. Reigen.

Obnova. V. Hradci Králové.

Vlast. V. Praze.

L'Association Catholique. Revue mensuelle des questions sociales et ouvrières. Lutetiae Parisiorum.

Index rerum numero idibus Martii editi: La question sociale d'après un livre récent (*G. de Pascal*) - La solidarité humaine (*C. des Prez de la Ville-Tual*) - Le développement du catholicisme social depuis l'encyclique «Rerum Novarum» (*Paul Lapeyre*) - Le projet de loi Millerand sur l'arbitrage et la grève obligatoires (*Henry Savatier*) - La prochaine réunion des revues sociales catholiques (*Henry Savatier*) - Chronique de l'Étranger. Italie (*G. de Pascal*) - Le mouvement syndical et ouvrier (*G. Laurens*) - Le mouvement des «Jeunes» (*A. Doal*) - Documents et faits sociaux (*H. S.*) - Chronique bibliographique (*V. de Clercq*).

Suppléments de la revue «Le Paine», Revue des questions sociales féminines: L'Oeuvre de Miss Octavia Hill à Londres (*Henriette Brunhes*) - L'assistance maternelle à domicile (*Docteur Pecker*) - Chronique: L'action sociale de la femme (*Paul Vigneron*). Lectures populaires illustrées d'études sociales

La Papauté et les Peuples. Revue internationale des sciences sociales, d'histoire et de droit public chrétien. Lutetiae Parisiorum.

La petite Revue Internationale. Singulis hebdom. prodit Lutetiae Parisiorum.

Bulletin Bibliographique internat. Bruxelles.

Revue Bibliographique Belge. Bruxelles.

Revue Neo-Scholastique. Lovanii.

Boletin-Revista de la juventud católica de Valencia.

La Crux. Madriti.

El Eco Franciscano. Santiago.

Revista Católica de las cuestiones sociales. Madriti.

Revista crítica de historia y literatura españolas, portuguesas, é hispano-americanas. Madriti.

Revista Eclesiástica. Valdolet.

La Semana Católica. Madriti.

Amerikanski Slovenec. Tower.

L'Artisan. Revue mutualiste. Montreal (Canada).

La Semaine religieuse. Québec.

El Católico. Santiago de Cuba.

Der Herald des Glimbens. St. Luis Mo.

Diario de Centro America. Guatemala.

Johns Hopkins. University Circulars. Baltimore.

Katholischer Mesten. Dubuque.

The Messenger of the Sacred Heart. Neoboraci (U. S. A.).

Index praecipuarum rerum vol. XXXVI, n. 3, mense Martio 1901: Science in the Philippines (*I. I. Walsh*) - The Moros of Mindanao (*I. E. Mc Mahon*) - Three Catholic Poets (*I. Campbell*) - The French Congregations - Pope Leo's Secular Ode, with Translation - The Encyclical Letter on True Christian Democracy - The Catholic Chronicle, Italy, Germany, France.

Niagara Index. Niagara University. N. Y.

Revue Eclésiastique. Valleyfield in Canada.

The Review. Singulis hebdomadis editur Saint-Louis M. (U. S. A.).

The Rosary Magazine. Patrum a S. Dominico praeconium menstruum. Somerset (Ohio U. S. A.).

The Church Progress. St. Luis Mo.

The Tidings. Los Angeles, Cal.

Le Messager de Tahiti.

Our Alma Mater. St. Ignatius College. River-view, Sydney.

I-wen-lou et Revue scientifique. Zi-hai = Shang-hai.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

DE OPIFICUM DESERTIONIBUS

QUAE tanta frequentia tamque varia fortuna reiterantur opificum desertiones eorum qui universae societatis moribus student mentes ad sese trahunt. Non igitur inopportunitate existimavi pauca hodie de re disserere.

*

Operariorum desertio est intermissio quaedam manuum laboris consulto ab opificibus comparata, quo melior ipsorum status aliquis fiat. Itaque desertiones huiusmodi, si in suapte natura consideraveris, illicitae tantum evadent cum minus licita quoque fuerit laborum intermissio, aut communis intentio. Id autem accidit et cum iustitiae vel caritatis officium ad laborem producendum impellunt, et cum conducta desertionis pactio crimine, aut vi, aut fraude procuratur, vel regitur, etiamsi contra exiguum opificum numerum ea adhibeantur. Quod vero saepius iniustitiae notam desertionibus inurit, id ex onere nascitur, quo opifex sese adstrinxit ut operam suam praestaret, quam libere spondit. Conventio enim e contractu exurgit quem *laboris* vocant, ad omne tempus in pactione statutum perdurante.

*

Atqui duo sunt casus, quibus conventio huiusmodi resolvi potest; cum scilicet condiciones in ea sancitas dominus violaverit; vel cum laboris onera usque ab origine iniusta in opifices statuta sint. Tunc enim, quamvis consensus sponte elicitus videatur, opifices, qui condiciones laboris una egestate urgente illum emisere, minime inde obligantur, ita ut, renuntiantes antea pactionem ac dominos de laboris intermissione monentes, liceat sibi quaerere ut pactio eadem innovetur, prouti iustitiae minima necessitas ferat. Quae quidem sociologi ipsique theologi christianae fidei docent; atque inde perspicitur quam immerito impiorum factiones Ecclesiam Dei cum potentibus devinctam arctis legibus calumniantur, quum contra ipsius doctrina desertionis ius usque admittat.

*

Sed tamen animadvertendum, desertionum causa et occasione multa eaque maxima mala gigni. Saepe enim coniurationes huiusmodi in irritum cadunt, amissumque lucrum lugent operarii, teterrimaeque miseriae dies experiuntur. Licet autem prospero successu res evadant, tamen innovati laboris contractus opificumque condicio gravi pretio instaurantur. Opifices maximas vitae necessitates perferant oportet, quarum omnium,

si, iuxta ea quae plerumque contingunt, summa computetur, tristis ferme deductio eruetur! Ex desertionibus enim centum, sexaginta in vanum laborari dicendae sunt, viginti ad transactionem adductae, vixque viginti prospere succedere. Americani vel Angli domini ut desertores superent illud saepe cavent *lock-out*, officinarum nimirum omnium occlusionem. Cui quidem haud diu resistunt opifices, pecuniae tenuissimae, quas ad rem servatae erant, cito consumuntur, ac brevi desertores ut sese submittant coguntur.

Exasperatio insuper animorum odiumque inter civium ordines desertionibus augetur, cum opifices passim sibi suasum habeant sua iura nunquam gravius esse violata; quare pessimo animo semper in dominos insurgunt. Quo ex odio, quod factiosi viri malis artibus alunt, animi moresque plebis deprimuntur. His autem cum seditiones et violenti conatus accesserint, quid erit? Cum enim operariorum multitudo non modo dies sed hebdomadas desidiosa trahit, cum ira vix repressa fremit, et alii alios stimulant atque mala consilia, quae mente revolvunt, diuturna conversatione foveant, illud denique — heu! quam saepe — confirmatur: « otium vitiorum parens! »

*

Desertiones igitur ut vitentur hodiernae communitatis bonum vehementer postulat, utque opificum dominorumque foederatis viribus inter sese aemulis arbitratorum tribunal detur, quod neutri faveat, divitiarum operarumque dissidia iudicet, componat.

Angli primi, Belgae deinde an. MDCCCLXXXVII, Germani an. MDCCCXC, Galli an. MDCCCXCII, Itali denique an. MDCCCXCVII huiusmodi arbitrorum tribunalia condidere: eorum vero rationem et usum, ut populus apprime intelligat maxime curari interest; inde enim facilis spes arridet fore ut desertiones plerumque aut vitentur, aut vix coeptae feliciter exstinguantur.

P. ROSSANI.

DE SAECULO XIX IUDICIUM

QUI reus est homo rapitur vivus ad iudicem, et vivus iudicatur; si mors intercesserit, cessat omne iudicium. Cur de saeculo non item? Quia saeculum non ideo cessat quia fuit, sed ideo quia fuit est immutabiliter, quale fuit, in tenebris aeternitatis. Iudicium autem eius penes posteros est, adnotante historia quidquid fecerit, quidquid attulerit, quidquid eriperit. Ecquid autem historia de nuper elapso saeculo XIX narrabit?

Divisa rerum serie, triplex nascitur ordo: physicus, metaphysicus, moralis.

Atque ad physicam quod attinet, nisi cetera superemineat saecula, XIX profecto cum celeberrimis de principatu certare videtur. Naturae sibi subdidit vires, subditasque in famulatum redegit. En ebullientium aquarum vapor in locum uniuscuiusque animalis suffectus, qui currus, qui naves quaquaversus agit celeritate mirabili sive terrestre iter sit, sive maritimum. Ipse idem in opificiis, in officinis hic secat, illic textit, alibi ligna, alibi lapides polit, aptat; molas circumagit, rotasque, libros praelo edit, chartas conficit, et fere quidquid manus hominum possunt per diversa ministeria divisae, ille ferreas profusus per machinas maturat unus.

Iamque saeculum omnes adipisci et ferre numeros videbatur, cum repente mirabilis contingere visum est, cum ipsa fulminis virtus, et comprehendi et stare loco nescia, et plena minarum incendii et necis, catenis obstricta docilis hominum voluntati paruit, et quasi cursor eximius primum habita est, quae salutationes, verba, notitias de Oriente primo in extremi Occidentis litora fidelis afferret, mox ad carros, ad vehas, quasi subiugalis, allata, et quasi vaporis aemula simul et victrix pernicibus alis, non haec modo, sed naves onerarias et mercatorias, et classes actuarias movit, dum pristinae feritatis et indolis intractabilis oblita calamitosa, non ultra in arces turresque mittit inimica fulmina lucis. Quid? Numeros didicit reddere, didicit orationes referre fidei sermone, et cantiones et instrumentorum concentus et siqua prolata sint eloquio « phonographo » tulit, statuitque sempiterna.

At solis aemula dedit lucem, qua plateae, viae, theatra, aulae, officinae, domus noctu illuminarentur, ut fere nihil nox distaret a die. « Telephonus », « telegraphus » quasi totidem nuncii ex electride sunt; nec desunt qui ipsa medico ritu ad sanandos artus utantur debiles et infirmos, et ausu felici iam redditur ea visus caecis, auditus surdis, claudis ambulandi facultas, mutis loquela. Constrictus et compressus aer liquescit fluens ut aqua, et insignes inde usus in refrigerium, in arma, in motum. Lux ipsa denique novos exhibet radios, quos oculi non percipiunt, at interiora corporum designant, et per clausos obsignatosque parietes triumphalis progrediens effigiem rerum chartis inscribit, dum libera pictoriae artis aequat portenta sub dio, et arcana caeli revelans, coloribus pandit quibus constent elementis siderei soles, qui desuper imminet, dum quasi mentor eximius intervalla narrat, quibus astra separantur.

In usum quotidianae vitae dedit saeculum birotas, dedit automobiles currus, « antisectica » medicamenta, « anestetica »; tum « microborum » et « bacteriorum » cognitionem; dedit incrementum artibus ac negotiis, commercia in centuplum auxit, arma potentissima invenit, dedit fere incredibilia factu, impossibilia narratu, creditque venienti saeculo ampli-

canda plurima, quorum germina manifestavit ut exculta soboloscerent. Quid de medica, quid de chirurgica arte dicam? Plaudite in physicis, quod occidit, saeculo bene de humano genere merito!

At in metaphysicis non ita sentiam. Nam e scholis errorum infinita cohors descendit in populos, qui et finis immemores, quo creati sunt, et impotes dialecticae austeritatis, immo fere hac disciplina reiecta, Deum aegre ferunt, et, si ferant, nostra negligentem putant. Neque melius de animarum immortalitate iudicant, nec superesse morti sensum aliquem in homine, et omnia cum vita absolvi canunt, qui cum iusti non sint, nolunt esse Deum a quo damnentur iniusti. Ac tamen ordinatione divina perseverat dies, et omnia illi deserviunt, qui creavit. Inter ista autem, velint, nolint, religio progreditur nescio qua virtute, nisi caelesti, et habitu et flamine divino restaurat et aedificat, ac toto in orbe terrarum sonat Evangelium; toto, inquam, in orbe terrarum, cuius fines et ultima litora audaces omnia perpeti vires indefessi scrutantur.

Pariter in morum disciplina plura ruunt, quae exstare, plura exstant quae ruere debent, illudque in primis quod lex voluntas populi iubentis sit, non aequa et iusta, et a Numine deorum tracta ratio. De pace et concordia totius humani generis actum infeliciter est; at quod semel initum est non morietur in via; fortasse languescet; erit autem quasi angelus Domini, qui dormientia bona suscitabit. Horrenda bella numerat saeculum a Napoleonis illis immanibus claudibus, a conflagratione penitus Europae totius iura regum indignantis, et iura populorum substituents, a bello Tauricae Chersonesi, ad illa excidia quae inter Germaniam et Galliam tot cruentarunt agros, tot lacrimas, tot infortunia, tot lamentabiles casus dedere et ruinas.

Iam nec bellorum, nec bellis finis adhuc, aestuante Africa Transvaalianis praeliis, aestuante Asia Sinensibus pugnis, et melius dicam lanienis. Quae Sinensia autem Europa suscepit invita forsitan, at aliquando suscepit tot martyrum ultura caedes, tot iniurias perpessa diu. At utinam ita absolvantur haec omnia Asiatica, ut nullus inde fiat odiis locus acrioribusque furoribus!

Sed iam invaluit opinio, suis posse quemque uti moribus pro libitu et cupiditatibus, dum furit male-suada fames auri, quam per seditiones, per fraudes pessimi explere festinant. Iamque sanguine regio madent Americae, Maximiliani et Lincoln et Garciae Moreni, madet Europa sive Alexandrum II imperatorem Russia fleat, sive imperatricem Elisabeth Austria, sive Humbertum Italia, sive Aloisium Bavaria. Tristia narro, et horresco dum scribo, saeculum nostrum bellis arsisse maximis, arsisse seditionibus, perturbationibus tum civilibus, tum externis, atque xx saeculo haereditatem dedisse, quam nollet accipere, « socialistarum », « anarchicorum », « nihilistarum » pugionibus et excidiis formidabilem.

Vidimus tamen piratarum cubilia subruta, subversa regna, praedonibus mare nostrum purgatum; vidimus servitutem fere exterminatam; vidimus iustitiam ad normam legum, non ad voluntatem, reductam.

Verum meliora exspectamus; nam in iis, quod excessit saeculum, laetis tristia multa commiscuit, multa quidem, et maiora quam par esset, atque deceret.

SENIOR.

Gloria maiorum posteris lumen.

SALL. De bello Jug.

LITTERATORUM HOMINUM AERUMNAE ET GAUDIA

(Carmen ALAFRIDI BARTOLI in litterarum certamine a comm. Vox Urbis indicto magna laude ornatum).

Forte sub umbrosa, medius cum fervet aestus,
Ilice, me quidam vacuum tua, Flacce, legentem
Offendit studii quicum commercia laeti
Exstiterant, Marco iam praeceptore: tot annis
Inviso o qui complexus et quanta sodali
Oscula! — Belle es? et huc qui te nunc casus, amabo,
Detulit? — Ipse vides. — Conspexi: sortia circum
Membra sagum, stringens suras et calceus alte
Causiaque ac duplici iactantia missile plumbum
Aera tubo, tum pone canis latratibus audax,
Venandi studium toto illo corde secutum
Cuncta dabant. — Atqui nec longe rusticor, inquit,
Hos neque sic raro saltus silvasque pererro
Ut mirer mihi qui te haud sors obiecerit ante.
Quid rerum sed, care, geris? — Bene, nempe volumen
Admoram, tubet esse, mihi hic solacia praebens
Maxima venanti: quid rides? aucupor ipse
Quicquid habent venerum latiae viridaria linguae.
Hic praeceps Anio ac Tiburni lucus ab unda
Alter, et a zephyro lectori immurmurat aller,
Quosque refert carmen trepidans dat silva susurros,
Aviaque exsultant avibus virgulta canoris,
Et cadit impositis fons puro cum pede saxis,
Splendidior vitro... St! nec tibi serior ergo,
Quae inveni fuerant cordi, me intervenit, aetas
Abstulerit? vatum male sanus inania semper,
Nilque aliud nisi damna bonas, quas dicitis, artes
Laturas, captes? — Tanto decurrere campo,
Quamquam in pulcra vocas certamina, denegat hora.
Prandia quid potius sapiant mea, dicere detur,
Celse, tibi, sit te furere et mihi dulce recepto.
— Ne fuge propositum. — Immo et in aptius, o bone, tempus
Distulerim, quod enim differtur, non cupienti
Aufertur: veterum docuit sapientia patrum.
— Esio, sed haec (paci sonuit nam turris) euntes
Disceptemus, ait; quid enim? ipsa minus via laedet. —
Rem mihi suasit: iter lenti tum carpsimus ambo
Multa quod umbraret radiis impervia silva.

✠

— Qui studet ergo bonis, iterum sic me occupat ille,
Literulis, ipsum misera fateare necesse est
Sorte premi semper, nulloque vacasse dolore
Quot quot scribendi studium talemque professi
Sint artem. — Recte, mihi nec sententia discors,
Nec tam laevus ego placitis ut inesse quid istis
Erratum adfirmem, sed... — In hoc nil excipitur. — Nil?
Est modus in rebus: sapias, quod falleris. — Illos
De quibus est sermo nil, taedia praeter, ad unum
Omnes, aerumnasque expertos esse docemur.
— Convenit in totum, verbo non convenit uno
Nil aliud, nempe: illi etiam sua gaudia norunt,
Si bene respicias et rem perpenderis apte;
Nos exempla movent... — Pro Iuppiter! hic furit! omen
Di avertant, haec obviant ne gaudia nobis!
(Brachia tum motans et me velut aller Achilles
Torva tuens tumido Celsus delitigat ore,
Ut verear, quem me fieri modo dixerat, ille
Amens ne fiat) mutantur nomina rebus
Ergo, ait: hinc vere praepostera legibus ibunt
Omnia naturae, tua nec te carmina, Damon,
Ludent (haec puer in ludo didicisse recordor)
Nunc et oves ultro fugiat lupus; aurea durae
Mala ferant quercus; narcisso floreat alnus;
Pinguia corticibus... sed me restantia fallunt,
Eia age, te dignam sis, praesta rem, mihi versus
Claudicat, adfer opem... sudent electra myricae,
Certent... St! memini (sunt et certamina nobis)...
Certent et cynnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis inter delphinas Arion,
Si mors, exsilium, carcer, contemptus et omne
Aerumnae genus, est heu! cui solamina vitae

Scilicet insano! cuncta haec dicuntur! ab ovo
Effatum usque ad mala tibi si ostendere pergam,
Ante diem clauso... — Factum bene! Doctus es, hercle!
Men certare tibi?... — Vesper componat Olympo.
Quae doluit passus vero iam Tristia dixit
Nomine Pelignorum qui decus exstitit omne...
Ne tamen inverso res persequar ordine tantas,
Si qua velustatis sensum sabella legenti
Exserit occulum, laniatur cui iecur, ignis
Subducti poena, aeternum sub pectore crescens
Ille mihi adsentatur, et idem gaudia narrat
Quanta bonas artes maneat studiumque professos
Librorum. Stipis at sua gaudia lumine cassus
Maeonis emendicandae sic novit, ut, illum
Hospitio exciperet ni Glaucus, mortuus esset!
Lis fuit Ascræo, miserum! cum fratre, parentis
Praeclaram ingrata qui strinxerat ingluvie rem,
Esuriesque virum, esuries tibi summa voluptas!
Enecasset, ei si non armenta luenda
Parva forent data. Nullum Euripidis angor ab ipsa
Coniuge et aerumnae, dum vitae carperet auras
Ille, latent: fertur bis, graiae conditor ille
Historiae pulsus, premeret cum Lygdamus urbem,
Frustra oculis moriens patrios quaesisse penates!
Vix leto effugit, modo summo functus honore,
Bisque amis decies vixit volventibus exsul
Qui Peloponneses narrat pugnataque bella.
Qua Xenophon vita fuerit quantosque labores
Sit passus, duplex monet exsilium, duo monstrant
Funera natorum... Mihi sed ne Graecia tantum
Dicendi obvia sit, Tulli quid copia fandi
Profuit? Ille domi curis exercitus usque
Coniugis, ac obitum, infelix! expertus acerbum
Filiolae, maiores exantillare labores
Natus, et exsilium novit novitque securim
Qua caput excisum est: odio tum femina flagrans
Non acubus linguae figendis dira pepercit,
Gaudia magna, tuo si quis iam more loquatur.
Quid? patriam, segetes, sua dulci rapta Maroni
Tecta, tibi dono, num et, quis nil foedius usquam
Maevius et nigro Bavius livore laborans
Praeteratur? Et hoc aequum est te mente tenere,
Invidia siculos non invenisse tirannos
Maius tormentum... satis haec reor esse superque;
Si minus, in Ponto valem procul ultima passum
A patria, Senecae adiciam sibi balnea sectis
Ipse cruentantem venis; neutrique per artes
Mens culta ingenuas, sua nec monumenta libelli
Profuerunt! Cupias haec? — Men? — Ita: gaudia dixi...
Ut nunc tecum, ducit sua quemque voluptas!
Vin nostros memorem? Qui, quot, quantisque periculis
Obiecti, aerumnis non ante imponere finem
Heu! quirint, tremulos quam letum solveret artus?
Hinc Dantem videas quae triverit omnium egenus
Limina, quaeve bonus latii sectator Homeri
Sorte laborarit, cecinit qui bella virumque.
Alter enim exsilium passus, sua vincula et alter:
Extorrem mors, indignum! interceptum utrumque,
Luserat atque ambos pariter spes invida; nempe hunc
In patriam reditu, lauri illum fronde perennis.
Subdere plura libet? quem Lusitania tellus
Laudat, quemque suum gens omnis dicere certet,
Se se offert Camoens, navem iactantibus euris,
Paene amissurus, quod vita carius ipsa
Esset, opus patria degenti iam procul ora
Bis senos vigilatum perfectumque per annos.
Publica sed pietas aegrum recreatque fovetque,
Indignum opum, a quo iam studiis opulenta poesis
Gens fuit illa: tamen satis oppressus iniquis
Emoritur vates, victum cui scripta domumque
Non dederant... Teste at, Camoens hoc, gaudia nosti!
Insubriae decus et laus summa Parinius ille

Itlidum, sibi, quo matris propellere possit
Esuriem, negat esse. Quid? et non omnia vitam
Confecisse tuam primo sub flore iuventae
Scimus, cui nomen dicti fecere dolores?
Divitiae quamvis essent et clarus avorum
Ordo tibi? Hoc sed iudice, quot quot gaudia noris
Carmina depromunt casto tibi condita stilo...

✠

Ventum erat ad limen: finem dedit ore loquendi,
Meque duce haud sibi nota subit penetrabilia Celsus.
Hic longam dolitura moram, qua bile laborat
(Sensit enim reducem), nigras egressa culinas
En patruelis adest, omnem ientacula ad ignem
Vim amisisse, et se iacturam temporis ullam
Nolle pati, aedes tot tantisque exposcere curas,
Fasque statis, saperem si quid prudentius, horis
Me esse domi... Tum talibus indignata parabat
Vocibus adventantem incessere; visus at hospes
Cum rabiem placat, facilem tum plena minarum
Ora in laetitia vertens, reverentia verba
Edocet... Instructa exiguis triclinia mensis
Accipiunt tamen, et prima discumbitur hora.
Nec minus interea de re cessamus, utrinque
Sed placidi exoriuntur iam certamina belli.

✠

— Ast ego summam quae, Celse, repellere durum
Sit, mea nunc promam, tibi nec, brevis esse laborans,
Displiceam. Arctus quamquam hic circulus atque recursus
Verborum tantis in rebus at acre morari
Ingenium haud poterit ne, quae me pauca iuvabit
Dicere, concipias atque intellecta probes, cui
Tam late, quaeso, erravit sententia sumpto
Undique, nec semper — caveas offendi — aple
Exemplo: ampullas et sesquipedalia verba
Proicio de re dicturus ego. Tua vero
Haud mihi dicendi ratio temnenda videtur;
Immo sequar, vastoque breves dabo in aequore remos.
Sed primum non esse meum nego gaudia verbum,
Quod tibi saepe virum tot dira incommoda fanti
Elicuit risus. Multum sed falleris ista
Si ad vitae tantum partes et corporis usum
Iam spectare putes: animum mentemque teneri
Laetitia dixisse placet, qua dulcius exstat
Nil homines inter. Scythica sub rupe residat
Vinctus furaci virga qui gentibus ignem
Intulit, illius tangit reverentia famae
Nymphas et pietas, invito vel Iove ut aegrum,
Oceano emersae repetant et dulcia capto
Carmina non meritis iterent mulcentia poenas!
Saepius aeris inops — tibi non obsisto — poeta
Sit: nulli tamen Elae sunt praemia palmae
Cara, coronato vates ni Pindarus adsit.
Invidia hinc Bavius macrescens Maevis inde
Virgilium Flaccumque petunt? Non principis illis
Munera portant, non Moecenatis amorem
Hi, villas, hortos et dulcia rura recepta,
At digito populi monstratum praetereuntis
Se canit ac opus aere perenni exigit alter;
Alter, cui templata via est, qua se quoque possit
Tollere humo, victorque virum volitare per ora,
In patriam secum gaudet iam primus amatas
Aonio rediens deducere vertice Musas;
Cui romano ex toto adsurrexisset theatro
Plebs fertur: memoris quaerens quin unus et alter
Secessum, rude quae contemneret otia vulgus,
Quae romanus eques, vel longo stemmate clarus,
Gaudia non nosset, sibi tum concessa pelebant.
Tullius infelix, quem saepe Terentia turbet,
Exigat aetatem: servata at dicitur urbe
Ille pater sermone potens, hostemque deserto
Ore serum pepulit: num damna domestica tali
Penset laetitia? ac animo maiora putentur
Aerumnae, an quae dicenti sibi gaudia pleno
Fecerit in populo, seris solacia curis?
Tristia sunt, fateor, nec ficto nomine dicta
Peligni, at, tenebras inter dirosque Tomitas,

Cum memoret qua spe fretum se dixerit atrae
Non unquam captum Mortis praedamque futurum,
Quaque patet domitis romana potentia terris
Clarum, cui fuerint praesagia tanta, nec ipsa
Inficianda tamen, nil exultasse putamus
Illius, exilium passi, mentemque animumque?
Singula dum refero et Graii Latiique ministrant
Vim exemplorum, ne veniant obliviosa nostris,
Dantem paene deum subolem visumque per omnes
Itlidum sedes patriaque bonisque curere,
Quid sensisse putas aut qua dulcedine captum
Si quando, vadens stupefacta per oppida, cunctos
In se conversos oculos plaususque notaret?
Et, ne te nostrae tacitum, Ludovice, relinquam
Lux linguae, quamquam pauper vilisque videri
Iam sagulo poterat nudusque pedes, tibi ut esset
Quo gauderes, Te saevi coluere latrones.
Cetera de genere hoc (adeo sunt nulla) loquacem
Delussare valent Fabium: pedibus simul aequum est
Te necum ire in id, aerumnis coniuncta fuisse
Gaudia saepe virum studiis qui naviter aptis
Se dederint: mala nempe bonis accedere iussit
Usque Deus, tutum nimium timidumque procellae
Ne foret humanum genus: at non ita, curis
Ut non interdum gravibus sint gaudia mixta.
Non semper gelidis effundit nubibus imbres
Iuppiter, aut vasti feriunt cava litora fluctus
Semper, et iratis strident aquilonibus aurae.
Hoc aio, hoc teneo, tua nec sententia vincet,
Celse, meam: renuis? — Renuo, nec mutor... — Utrumque
Cardine sed verso quidam tum plura volentem
Dicere et exemplis firmare novis sua, notus
Occupat ingressus, quicum, post vina, solebam
Ludere, qui puerum meminit cognoscere Celsum.
Inde, datis dextris, nobis adsedit et ille,
Et cyathos inter, variis sermonibus horam
Ducimus, at re mutata; namque hic graviores
Quaeque notant fieri per terras acta diurna
Disceptamus, et hic alium diversa sequentem
Ac sua, distringit nec abest qui culpet utrumque.
Quaerimus an redeant quos felix Suecia vidit
Daedaleo quondam molimine scandere caelum;
Num rex arcloum iuvenis qui temperat orbem
Egerie rebus gestis decus alque gerendis
Addiderit, deserta vetans ad inhospita captos
Posthac abduci; nostros num denique ferro
Barbaries Asiae vel diro absumperit igni...
Interea, de qua primo certamen utrinque,
Res vacat, et merito, nostris res viribus impar,
Quae, ut nobis, aliis ita adhuc sub iudice pendet!

CRUCIS HISTORIA ⁽¹⁾

II.

VERAM Crucis historiam tunc inchoari fata divina
statuerant cum patibulum, eius ad formam ex-
structum, Deum adfixum sustineret, eiusque sanguine
cruentaretur. Christianae religionis incunabula volun-
tur: in Hierosolymae coenaculo oriens Ecclesia pri-
mas voces edit; at noverca vetus interitum ei parat,
suaeque parum fidens imbecillitati, superstitionis ido-
latriae sibi adsciscit cultores, utque nefandum faci-
nus perficiat tutius, gentes in Christi asseclas commo-
vit, quos Caesari accusat. Iupiter ille alter, lauro
ornatus, ex Palatio mandatum excipit seseque ad
cladem accingens christiani sanguinis rivos effundit.
Tunc Christi Ecclesia aqua et igni interdicta, in
obscuras illas latebras compellitur, mirandum ferme
opus, metu ac necessitate ortum! Tria inde per sae-
cula Christianorum progenies in coemeteriis versat-
ur, quae tum Ecclesiae, tum Christianae artis fiunt
refugium. Non enim subterraneas inter tantas tene-
bras sublimes deficiunt afflatus; in parietibus iis,

(1) Cfr. num. sup.

pallescente vix lucerna illustratis, aeterno silentio
veluti mortuae civitatis oppressi, christiani pictores
excelsam Crucis historiam primi describunt.

At sacrum patibulum historica, quam nos videmus,
forma relatum frustra per foveas illas quaesieris.
Symbolico velamine — Christianis tam grato, ut fictam
hanc speciem universa Christiana poesis semper
deinde induat — infamiae signum obtegatur, et quasi
mortis eventus effingere horreant christiani pictores,
nunquam morientis Dei viva specie prodigium de-
scribunt. Iis qui humani generis vituperium obbro-
briumque habebantur, nunquam ea exhibere placuit
quae passi ipsi fuissent, vel parentes, liberi, uxores;
cumque ethnicorum ingenuae artes natura veluti sua
in obscuro ac foeda ita ruerent, ut ad adstantium
animos commovendos cum Herculis in Oeta monte fa-
bula ageretur servum igni traderent, inter rustica, in-
quam, huiusmodi theatrorum spectacula ipsa in urbe
domina mundi, novae religionis sectatorum manus
pauper, infirma, in foveis abdita, martyrii symbolum
vix edet, at resurrectionis figuras blandas ac suaves
tantum describet, exemplo optimo artem exhibens ab
incultis rudibusque operibus immunem et ad carita-
tem novam, quae ignoscit et obliviscitur, conversam.
Attamen ex profundis illis latebris, sepulcrorum ex
imis illis foveis haec ars ad humanitatem omnem
innovandam prodidit!

Crucis itaque asseclae instrumentum horridum
divinae necis aperte exhibere renuebant omnino,
ac magis magisque cavebant, ne ibi adfixum Chri-
stum referrent, ita ut cum — Tertulliani verbis utar —
« Crucis religiosi » redemptionis altare sub oculos
revocare gestirent, symbolo utentes peculiaria tria
signa delegerint: T alphabeti literam, quae maxime
Crucem imitatur, anchoram, aut tridentem. Pruden-
tia, reverentia metusque ne dubitantes arcerentur a
fide, cum servum malum cruci quotidie suspensum
viderent, artifices prohibere, quominus venerandum
signum alia forma exhiberent.

Igitur in sepulcrorum lapidibus, ut eos redem-
ptionis dilecto signo quodammodo sacros facerent,
T graecam literam late perspicuam apposuerunt, cuius
Tertullianus, Ezechielis prophetae verba memorans,
« Signa Tau super frontes » etc. vim explicat, scri-
bens eam Graecorum literam atque geminam Lati-
norum ad prophetae mentem formam crucis exhi-
bere, quam imprimi nostris frontibus in caelesti
Hierosolyma oporteat.

Pauli autem verba ad Hebraeos, pariterque Cle-
mentis Alexandrini, perspicue significant anchoram,
tam saepe in vetustissimis sepulcrorum monumentis
effictam, a primis usque religionis temporibus veluti
Crucis symbolum habitam fuisse. Saepe igitur an-
chorae hastili transversa linea additur, crucis secre-
tam originem exhibens, fundamentum christianae
spei: quod additum mente consilium melius deinde
apparuit cum tridens anchorae suffectus est.

(Ad proximum numerum).


Ex ineditis MARIANI ARMELLINI.

BIBLICAE ANTIQUITATIS

VESTIGATIONES NOVISSIMAE ⁽¹⁾

ORIENTIS qui student rebus antiquis, laudabili
animo suscepta semel curant quotidie crescenti
diligentia ut perficiant; neque praemium laboribus et
sollicitudinibus deest, mirabiliter coniurantibus una

(1) Cfr. scriptum doctoris LA TOUCHE TRÉVILLE in comm. Revue et Revue des Revues, kal. Ian. MCM.



Christus Hierosolymam ingrediens.

[(Tabulam Fr. ANGELICI FAESULANI photographice expresserunt fr. Alinari, Florentiae).]

simul sapientia, opibus, alacritate, fortuna. Atque hac in re docti viri quamplurima contulerunt in eum, qui Hebraeae gentis est caput et pater, Abrahamum illum, de quo pulcherrima reddidere Sayce in libro quem *Palaestina patriarcharum* inscripsit, Tomkins in opere *Abraham et eius tempora*; Hommel apud *Veteres traditiones Hebraeorum*; Ball denique, cuius laboris fructus: *Lux ab Oriente deveniens*. Monumenta autem illa, quae lateres conficiunt cuneiformibus characteribus descripti, nuperrime reperti ab E. A. Hoffmann, seminarii Neo-Eboracensis decano, rev. Radan interprete, Babilonensium regum nomina seriemque resumendam praebent, docentque urbem Ur Chaldaeam Abrahami patriam existisse olim in occidentali ripa Euphratis fluminis, eoque potissimum in loco, ubi Sciat-el-Hal in illud nunc influit. Abraham una cum patre, iubente Deo, anno 2500 ante Christum, loco demigravit in regionem Chanaan, diuque inter hanc et Aegyptum versatus est, neque ipse minus quam posteri eius. Morti proximus Iacob, singulis cum benedixisset filiis nepotibusque « benedictionibus propriis, praecepit eis dicens: ego congregor ad populum meum; sepeliteme cum patribus meis in spelunca duplici, quae est in agro Ephron Hethaei, contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethaeo in possessionem sepulcri. Ibi sepelierunt eum, et Saram uxorem eius; ibi et Lia condita iacet. Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit, appositusque est ad populum suum » (1).

Neque paterna iussa filii fecerunt irrita; nam Ioseph, qui tum alter a Rege in Aegypto ferebatur, « praecepit servis suis medicis ut aromatibus condi-

(1) Genes. cap. 49.

rent patrem. Quibus iussa explentibus transierunt quadraginta dies; iste quippe mos erat cadaverum conditorum, flevitque eum Aegyptus septuaginta diebus...». Post haec Ioseph ascendit in terram Chanaan, « et ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terrae Aegypti; domus Ioseph cum fratribus suis, absque parvulis... Habuit quoque in comitatu currus et equites, et facta est turba non modica. Veneruntque ad aream Atad, quae sita est trans Iordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleverunt septem dies. Quod cum vidissent habitatores terrae Chanaan dixerunt: Planctus magnus est iste Aegyptiis; et idcirco vocatum est nomen loci illius: Planctus Aegypti. Et... sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethaeo contra faciem Mambre » (1). Haec omnia ad fidem excerpimus ex Libro Sacro, ut in ipsa solemnitate ac descriptione locorum appareat quanti habitus sit apud Hebraeos locus, talisque ut semper in memoria exstaret, nec error subrepserit. Quoad ritum autem condiendi et luctus apud Aegyptios omittimus ea, quae mirabili concordantia Diodorus recitat in lib. II, cap. 3, *Historiarum* suarum.

Magna itaque Hebraeis religio fuit circa sepulcrum Abrahami et qui ab eo; atque in bellis, quae tunc fuerunt, minime credendum est dispersos eorum fuisse cineres, cum apud populos Orientis pietas erga mortuos a quavis iniuria abhorreret, nec minus quam naturalis legis ac divinae simul imperium videatur illud, quod in XII tabulas Romani retulerunt « Deorum Manium iura sancta sunt ». Quum autem, Hebraeis dispersis, christiana potestas ea loca obtinuis-

(1) Genes. cap. 50.

set, sacra fuerunt sepulcra pariter, quia in Evangelio legatur: Liber Generationis Domini Nostri Iesu Christi, Filii David, Filii Abraham. Excedente autem ab illa regione dominio christiano, Mahumetanorum potestas omnia obtinuit: at non minus quam Christianis atque Hebraeis veneranda iis loca fuerunt, qui Abrahamum Saracenorum patrem et Mahumeti, Ismaele intercedente filio, venerantur. Immo hi longius progressi templum, quod suo sermone « meschitam » vocant, superexstruxerunt, et cavernam duplicem in campo Macphela contra Mambre tuentur. Sacerdos unus superiorem specum adire potest; inferiorem, seu interiorem nemo, nisi divinas contra se voluerit iras provocare. Et nemo quidem ingressus est, usque ad annum 1862. Tunc omnium primus, qui nunc Angliae rex Eduardus, cumque eo duo amici regalis viri, et doctor Stanley, abbatiae ad Westminster rector, sepulcrales arcas videre et describere potuerunt.

Circa muta ac solitaria sunt omnia, et locus ipse et solitudo aliquid squaloris habent, moeroremque inferunt invisentibus. At quis credat locum hunc tot saeculis ante Moysen et Salomon omnium Iudaeorum animos allexisse, et quasi centrum fuisse, quod peterent quaquaversus disiecti?

Nec tamen absque sacramento sunt septem ibi sepulcra, insitusque iis Ioseph, cui minime locus esse debebat, exclusaque Rachel, quae ipso Iacob iudice, Liae inclusae praeferenda erat. At aliquam vim illatam reliquis sepulcris fortasse quis arbitrabitur; conditorium, quo Abrahami sive cineres, sive ossa, sive quid reliquum adhuc sit, continentur, integrum omnino est, ac tribus tapetibus, auro intertextis, operitur, quos Mahumetus II, Selim II, et Abdul Medjid dono dedere. Ne quis ingrediatur amplius cavit Turcarum Imperator, quem fortassis piguit introisse Eduardum, neque tantum in hoc animadvertit sepulcrum, sed et in sepulcrum Rachel ad Bethlehem, in Iosue, et in illud, quo Davidis ac Salomonis regum reliquiae continentur.

Quoniam autem facta de regibus mentio est, scimus eorum omnium busta inferius reperiri aequo, quo nunc est Ierusalem, sed nec locus patet in quo quaerenda sint, nec, si pateret, quaerendi et vestigandi facta ulli esset potestas. Penes doctos opinio in valet sepulcrum Davidis illo mahumetano templo premi, cui a Davide nomen, quod ceteroquin e solo, ineunte adhuc christiana religione, eminebat.

Est autem recordatione digna Lachish urbs illa Salomonis ab Amoritis olim saeculo ante Chr. xx aedificata. Semel ac decies iterum a ruinis excitata, duodecima demum vice in ignes aeternum considerentem Hinder-Petric ac Bliss toto opere defoderunt ad Tell-el-Hesy. Cl. viri de ea monuerunt amplissima; quippe quia inventi sunt clybani illi, ad liquefacienda metalla, quos italice *alti forni* dicimus, circa quos ad praemium et honorem Nelson regias litteras anno 1828 depoposcit, quasi princeps horum inventor. Erant ibi publicae bibliothecae, quarum mentio cuneiformis facit inscriptio; erant torcularia comprimendis uvis, erant sexcenta, quae nostris nos temporibus inventa putamus. Profecto « nihil sub sole novi »!

G. P.

Scilicet adversis probitas exercita rebus,
Tristi mater iam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Ulysses,
Poenelope felix, sed sine laude foret.

Ov. Trist. lib. 5.

CHRISTUS HOMO

A TRIUMPHO AD SEPULCRUM

CHRISTUM Hierosolimam advenientem triumpho ab hominibus exceptum, Christum ad sepulcrum actum Matre et discipulis comitantibus lectorum sub oculis ponimus; alterum pictoriae artis resurgens specimen, ad culmen advectae alterum: Urbinas enim tabulam hanc coloribus illustravit, illam Frater Angelicus Faesulanus. Non conferenda quidem utriusque artificis peritia, quem intentus, indoles, vivendi ratio, ingenii magnitudo, aetas se iunxit; in hoc tamen convenit, ut arte eximia Christo uterque pictor honorem redderet, ipsumque qui pro hominibus passus est, quamquam vitae rex, suae artis dominum salutaret. Namque a Faesulano, Francisci Assisiensis assecla, ad Raphael usque una bonis artibus summa praeluxit meta arripienda, divina gesta expromere, divino quodam flamine mente concepta; quam scilicet corde foverant pietatem ac fidem, eam deinde penicillo exornabant. Non aliunde enim pictores illi tot suavissima blandaque sacrae historiae facta, tot Iesu ac Deiparae caelestes vultus effingendi vim arripere poterant!

LAELIUS.

DE LIBRORUM COMMERCIO

APUD ROMANOS (1)

SOLUM extremis reipublicae temporibus librorum commercium, quod proprium dici potest, invenitur; quod ingens servorum numerus, non minus quam hac nostra aetate prela machinis mota, facile reddebant. Neque id mirum. Nam cum Romani ad bella gerenda intenti nondum litteris delectabantur, nec librariis nec bibliopolis (2) iis opus erat. Sed iam inde ab anno cxxvi ante Christum natum, quo L. Mummius consul Corinthum cepit atque diruit, nobiliores Romani, graecis litteris artibusque cognitis, cum hominum eruditorum consuetudine uterentur, quorum exemplo ipsi ad scribendum incitarentur, operam dederunt, ut servos scribas quam plurimos haberent. Horum nobiliorum Romanorum longe clarissimus fuit T. Pomponius Atticus, cuius in familia, ut est apud Cornelium Nepotem (*All.*, 13), « erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi et plurimi librarii, ut ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulcre facere posset ».

Saepe accidit, ut viri docti mancipia, quorum operam et fidem in studiis librisve exscribendis probassent, manumitterent. Ex his igitur librariis a dominis manumissis originem duxerunt bibliopola, qui ex arte, quam huc usque exercuerant, fructum ipsi sibi capere coeperunt. At primus omnium romanorum editorum fuit Atticus, qui libros describendos et vendendos curavit. Multi alii librorum mercaturam fecerunt, quorum omnium, Augusto regnante, clarissimi fuere Sosii fratres, Horatii carminum editores. Horatius enim haec in librum suum habet (*Ep.* I, 20):

*Vertumnum Ianumque, Liber, spectare videris,
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.*

Quintilianus haec Tryphoni, editori suo, scribit: « Multum in tua quoque fide ac diligentia positum

(1) Cfr. M. HERTZ, *Schriftsteller und Publicum in Rom*, 1853; et FR. SCHMITZ, *De Bibliopolis Romanorum*, 1857, quem nos maxime secuti sumus etiam in ipsis verbis.

(2) Quamquam apud veteres librorum et bibliopolarum nomina saepe confunduntur, tamen hi libris vendendis, illi libris describendis operam dabant.



Christus ad sepulcrum actus.

(Tabulam RAPHAELIS SANCTI URBINATIS photographice expresserunt fr. Alinari, Florentiae).

est, ut in manus hominum [libri] quam emendatissimi veniant » (*Ad Tryph.*).

Apud Tryphonem Martialis quoque scripta venalia erant (*Epig.* IV, 72):

*Exigis ut donem nostros tibi, Quincte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.*

Neronis autem temporibus, ut est apud Senecam (*Benef.* VII, 6, 5), Dorus ex Ciceronis et Livii operibus lucrum fecerat.

At quibus locis Romae librorum tabernae fuere? Sedem bibliopolae iis locis collocabant, quibus aliae quoque res venales erant et quo ob negotiorum frequentiam magna hominum multitudo conveniebat. Sosii fratres, uti supra dictum est, apud Ianum proximum signo Vertumni inveniebantur, qui deus foro praeerat, in quo merces exponebantur, praesertim hortorum fetus; alii erant post templum Pacis in foro Palladio, alii in Argileto, ut a Martiale accepimus; is enim haec in suum librum dicit (I, 4):

*Argiletanas mavis habitare tabernas
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent;*

et haec in lectorem (I, 3):

*Libertum docti Lucensis quaere Secundi (librarii)
Limina post Pacis Palladiumque forum.*

At posteriore aetate in Vico Sandalario plurimos fuisse bibliopolas auctor est Galenus (cfr. *Περὶ τῶν ἰδίων φαρμάκων*). In provinciis quoque bibliopolae habitaverunt, sed initio rari. Nam Plinius miratur quod Lugduni, in colonia tunc temporis celeberrima, bibliopolae essent. Gellius, ex Graecia in Italiam rediens, Brundisii fascis librorum venalium expositos vidit eosque parvo pretio emit.

Nunc de tabernis ipsis bibliopolarum dicatur. Nota sunt haec Martialis verba (I, 118):

*Contra Caesaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc et inde totis
Omnes ut cito perlegas Poetas.*

Nam bibliopolarum tabernae postes inscripta geriebant nomina librorum, ut praetereuntes scire possent, qui libri essent venales. Nostra quoque aetate in fenestris ad spectandum exstructis libri prostant aut imagines suspensae sunt, quibus praetereuntium oculi feriantur. Ceterum librorum venditores scrinia sua interdum ad pilas columnasve collocata habuisse Horatius testatur (*Sal.* I, 4, 71):

Nulla taberna meos habet ut neque pila libellos,

et alibi (*Ep.* II, 2, 371):

*Mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnae.*

In tabernas bibliopolarum homines docti litteratique saepe conveniebant ad libros expositos inspiciendos legendosve: disputabant de argumento librorum, de auctore: vitia notabant, virtutes laudabant. Emptores autem ad spectandos libros interdum grammaticos adhibebant, qui de mendis cum librariis saepe certabant. « Apud Sigillaria », ut est apud Gellium in cap. IV libri V, « forte in libraria ego et Iulius Paulus poeta, vir memoria nostra doctissimus, consideramus; atque ibi expositi erant Fabii Annales, bonae atque sincerae vetustatis libri, quos venditor sine mendis esse contendebat. Grammaticus autem quispiam de nobilioribus, ab emptore ad spectandos libros adhibitus, repperisse se unum in libro mendum dicebat: sed contra librarius in quodvis

pignus vocabat, si in una uspiam littera delictum esset. Ostendebat grammaticus ita scriptum in libro quarto: "Quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duovicesimo anno postquam Romam Galli ceperunt." "Non," inquit, "duovicesimo, sed, duo et vicesimo scribi oportuit. Quid enim est duovicesimo?" »

In ipsis autem tabernis libri servabantur in scribiis certo ordine dispositi, ut testatur Martialis (*Ep.* I, 118):

*De primo dabit (1) alterove nido
Rasum pumice purpuraque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.*

Nam in primis vel summis nidis, id est in forulis, optimi recondebantur libri, in imis vel ultimis libri parvae aestimationis. Libri autem saepe ornati erant: eorum membranae in volumen complicatae, frontes pumice politae, cornua (bacillus enim cedrinus vel buxeus vel cupressinus extremae paginae ad-sutus utrinque apparebat) ebore, argento vel auro ornata; praeterea prima libri tabella interdum scriptoris imaginem referebat, uti Martialis testatur (*XIV*, 86):

*Quam brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.*

Quos libros politos et ornatos maiore pretio vendi vix est quod memorem (*Mart.* I, 118). Item libros non solum manu ipsa auctorum scriptos, sed etiam emendatos, pluris faciebant (*Mart.* VII, 16):

*Septem... tibi misimus libellos
Auctoris calamo sui notatos:
Haec illis pretium facit litura.*

Ceterum librorum pretium erat modicum: quin etiam sunt qui libros etiam minoris, quam hac nostra aetate, venditos esse existiment. Martialis enim

(1) Scil. *Atreclus*.

29]

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

«...Incredibile», inquit, «memoratu est, quantopere latini sermonis castitatem — sic ille barbaro verbo (1) — labefactarint insolentiora vocabula, aut ex ultima antiquitate repetita, aut licentius conficta, aut graeco fonte pitidius derivata, aut ex duabus linguis inepte coalescentia, aut demum (2) a propria in aliam significationem translata. Quod vitium scriptoribus huius aetatis commune, in iis praesertim occurrit, qui christianam sapientiam profiterentur (3). Quamvis enim sanioris doctrinae rationem, frustra ad illud tempus quaesitam, mortalium ingenii aperuerint; attamen quum libros fastidirent, antiquis religionum superstitionibus imbutos et toti essent, ut rudis multitudinis captui sese accommodarent, a sincera latinitate recedentes, vitiosum ac sordibus inquinatum dicendi genus advexerunt (4). Quamobrem, si vis excellentis eloquentiae speciem et formam adumbrare, cognoscenda quidem tibi erit universa latinitas, imitanda vero tertia aetas ab eaque exempla petenda.

Treb. — Quid si cum T. Livio mihi dictum excidat « Siet; di averruncent; di meliora duint; di faxint »?

(1) V. GANDINUM, *Sintassi latina*... vol. II, part. III, p. 201; E. GARITUM, *De T. Lucretio Caro Oratio*... (Aug. Taurin. ex officina C. Zolac, 1887).

(2) V. SCHULTZ, *I Sinonimi latini voc. Denum*.

(3) Cfr. cum Madvigio et Schultzio recentiores omnes grammaticos de usu modi subiunctivi ac temporum; de quibus a Vallaurio ignoratis v. E. GARITUM *Orationem de T. Lucretio Caro* et disceptationem cum Vallaurio, 1891.

(4) *Hist. crit.* lib. IV, cap. I.

tradit *Xenia* sua (quae in editione Teubneriana XIV paginis continentur) a Tryphone bibliopola vendi quatuor nummis et posse vendi, non sine aliquo lucro, etiam duobus (*XIII*, 3):

*Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
Constabit nummis quatuor empta tibi.
Quatuor est nimium: poterit constare duobus
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.*

At faciebant auctores ipsi lucrum ex suis scriptis? Hac de re litterati homines inter se certant et adhuc lis, ut aiunt, sub iudice est. Plautus et Terentius comoedias suas aedilibus vendebant; quin etiam apud Svetonium (*Ter.* 3) scriptum legimus Terentium *Eunuchum* fabulam vendidisse octo milibus nummum. Martialis tamen dum gaudet carmina sua et Romae et apud remotissimas gentes legi, aegre fert se inde nihil lucri habere (*XI*, 4):

*Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur et nostros cantare Britannia versus.
Quid prodest? Nescit sacculus ista meus.*

Fortasse Martialis aliique auctores a bibliopolis praemium pro suis scriptis acceperunt.

Auctores, priusquam scripta sua bibliopolis traderent, magnam diligentiam adhibebant ut quam emendatissime scripta essent. Constat Vergilium nimia verecundia ductum carmina sua comburi iussisse. Ciceronem autem omnes suos libros Attico perlegendos misisse nemo ignorat. Is enim Atticum suarum orationum Aristarchum appellat (*Ad All.* I, 14). « Quae laudas », inquit, « ex orationibus (meis), mihi crede, valde mihi placebant; sed non audebam antea dicere. Nunc vero, quod a te probata sunt, multo mihi *ἀριστώτερα* videntur » (*I*, 13). Et alibi haec profert (*XII*, 6): « *Chreme* (scil. Attice), *tanlumne*

Cens. — Commode ista dices cum Livio; importune cum Arcadio Servantio. Livius enim, non otii causa aut ostentandae copiae verborum, sed exprimentandae antiquitatis, prisca quaedam inducit, quod idem fecerat Sallustius, quamquam id huic nonnulli vitio tribuerunt (1). Adde quod habet Quintilianus: « Omnia verba sunt alicubi optima... et ubi res poscit proprie dicuntur » (2). Verum quotusquisque scriptorum est, qui cum Flacco tueatur illud: « nunc non erat his locus »? Quomodo autem alia oratorem verba deceant, alia historiae scriptorem — historiae dixi, non cuiusvis narratiunculae — idem sic praecipit: « Sciamus plerasque eius virtutes oratori esse vitandas. Etenim proxima poetis et quodammodo carmen solutum est... ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium evitat » (3). Quare et Vallaurio et Arcadio gestientibus

Undique decerptam fronti praeponere olivam (4)

idem accidit quod « his qui quidquid apud illos repererunt dicendi legem putant, ut deteriora imitentur » (5).

Heic praeses, quoniam recedendi legem imponebat meridiano tempus: — Graviora — inquit — hos amplissimos viros meque urgent negotia prohibentque quominus praesens disputatio absolvatur. Discedite igitur, adolescentescens, et date operam litteris diligenter.

Treb. — Valetate igitur, iuvenes mei: sitis incolumes, sitis florentes, sitis beati. Stet hoc lyceum praeclarum... Phil. — Stet lyceum: cedamus nos atque abeamus.

(1) SVET. *Octav.* 86; *Gramm.* 10; QUINT. *Inst. Orat.* VIII, 3, 29.

(2) QUINT. X, 25.

(3) X, 31.

(4) HOR. I *Carm.* VII, 7.

(5) *Inst. Orat.* X, 25.

ab re tua otii tibi, ut etiam Oratorem legas! Macte virtute! mihi quidem gratum, et erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli. Eadem diligentia usus est C. Plinius Caecilius (ne plures afferam) in emendandis suis scriptis. « Nul-lum », inquit, « emendandi genus omitto. Ac primum quae scripsi, mecum ipse pertracto; deinde duobus aut tribus lego: mox aliis trado adnotanda, notasque eorum, si dubito, cum uno rursus aut altero pensito; novissime pluribus recito ».

Nam Romae auctores libros amicis recitabant priusquam ederent, ut cognitis eorum iudiciis, emendarent quae non placerent. Initio scriptores paucis iisque bonis auditoribus contenti erant. Cicero enim ad Atticum haec scribit (*XVI*, 2): « De gloria misi tibi. Custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarii; quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio dumtaxat legat ». Horatius quoque ad audienda sua carmina paucos et electos amicos invitabat, in quibus erant Plotius et Varius, Moecenas et Vergilius, Valgius et Octavius, optimus Fuscus et uterque Viscus. Sed initio Traiani imperii hae recitationes adeo usu receptae sunt, ut C. Plinius Caecilius Secundus tradat mense aprili anni *xcvii* post Christum natum nullum diem fuisse, quo non recitaverit aliquis (*Ep.* I, 13). His quidem recitationibus valde delectabatur Plinius, qui haec de recitatione Calpurnii Pisonis scribit Spurrinae, amico suo (*V*, 17): « Nuntio tibi fuisse me hodie in auditorio Calpurnii Pisonis. Recitabat *κατασπεριγυδόν* eruditam sane luculentamque materiam. Scripta elegis erat fluentibus et teneris et enodibus, sublimibus etiam, ut poposcit locus. Apte enim et varie nunc adtollebatur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia plenis, severis iucunda mutabat: omnia ingenio pari. Commendabat haec voce suavissima, vocem verecundia. Multum sanguinis, multum sollicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis... Recitatione finita, multum ac diu exosculatus ado-

Treb. — Tu vero, Servanti, a communi hac litterarum ruina serva te immunem, et si me amas, exscriptam orationem tuam fac ad me quam citissime mittas.

Arc. — Est in manibus Censorini; utere, si vis.

Tum, iunctis dexteris expletisque utrinque debitae urbanitatis officiis, Trebatius cum suis lycei limen tandem aliquando reliquit, patulis naribus captans liberum aëra; eo beator, quod consilium iam nullum ipsi suberat quomodo se a Censorini laqueis expediret. Inde ad hospitium Antonii *De Horatiis*, integram famem afferentes, duce Philippo, diverterunt.

Coena fuit, non qualis luxuriosa illa Metelli Pontificis Maximi aut Trimalcionis, sed paene similis iudaeorum festinanter edentium agni carnes cum lactucis agrestibus. Propositum enim omnibus idem erat, sub occasum solis Urbem repetere. Placuit interim, dum hora profectionis adveniret, egredi extra portam Cynthiam, rectoque tramite spatium aliquod conficere munitae illius viae, consitae arboribus, qua vix alia ulla otiosae inambulationi commodior.

Tum Lollius incedentem senem brachio sustentans: — Quid tibi visa — inquit — antemeridiana disputatio?

Treb. — Adhuc male me habet Censorini temeritas, quem vos tamquam canem catena tractum instigastis in Arcadium. Ecquis autem vos impulit furor ut in huius adolescentis aureolam oratiunculam, quasi tres anseres, rabioso stridore impetum faceretis?

Loll. — Oratiunculam appellari posse inanem illam loquacitatem, prorsus assentior; quominus vero aureola dicatur prohibent mendosa multa varique lapsus.

Treb. — In quo ergo Arcadius offendit quod me fugerit, haud sane expertem latinitatis?

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

lescentem... Dii faciant, ut talia tibi saepius nuntiem».

Sed illuc redeamus, unde huc digressi sumus. Auctores scripta sua emendata et perpolita bibliopolis tradebant, ut ederentur. At librarii non semper eandem diligentiam ac auctores in describendis libris adhibere: qua de re et doluit Cicero (*Ad Q. Frat. III, 4*): « De latinis [libris] vero, quo me vertam nescio: ita mendose et scribuntur et ve-neunt »; et doluit Martialis (XI, 8):

*Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis
Sive obscura nimis, sive latina parum,
Non meus est error: nocuit librarius illis
Dum properat versus adnumerare tibi.*

At quot exemplaria eiusdem libri bibliopolae comparare solebant? Hac de re nihil certi conici potest. Verisimile est bibliopolas primum non magnum numerum comparasse, deinde maiorem si liber venderetur. Certe bibliopolae libros ex Urbe et in remotissimas et transmarinas regiones mittebant. Plinius enim narrat (IV, 7), Regulum quandam, adhibito ingenti auditorio, librum de vita filii mortui recitasse; eundemque librum in exemplaria transcriptum mille per totam Italiam provinciasque demissum esse. Martialis carmina legebantur, ut supra dictum est, in Gallia, in Britannia, in Germania et in Getica, quas in regiones advecta erant ab hospitibus vel a militibus romanis. Sed non solum privati libros emebant, verum etiam publicae bibliothecae. Romae ab Augusto duas bibliothecas institutas esse constat: alteram in porticu Octaviae, cui Melissus praeerat, alteram in monte Palatino, cui praeerat Hyginus. At bibliothecae ubique erant; erant in provinciarum oppidis, erant in domibus atque in villis privatorum civium, erant in balneis atque in thermis (1).

D. TAMILIA.

EX RUMENIA

SINATIS, quaeso, ut in commentario *Vox Urbis* virum illum brevi commemorem, qui cultum bonarum artium in Rumeniam primus invexit, cuius mortem, quae Iassii, Moldaviae in urbe capite, nuper contigit, omnes boni cives condoluerunt.

Georgius Panaiteanu Bardasare ortum habuit XIII Kal. Maias an. MDCCXVI, Burduienis, oppidulo in summa Moldavia, Austriae ad fines. Adolescentulus, de communi aerario dotibus datis, in Bavariam, ut artem pingendi disceret, missus est; nulla enim tunc erat in Moldavia schola, in qua iuvenes pictura erudiri possent. Itaque Monachii duo de viginti annos vixit in commercio clarissimorum pictorum; quo elapso tempore, in patriam reversus est, ubi an. MDCCCLVIII tabulis pictis, quas secum adduxit, plurimam autem ipse perfecerat, pinacothecam Iassii condidit, cui paulo post scholam bonarum artium addidit. Quid de sollicitudine eius dicam, ut prospere haec procederent? Paene usque ad obitum ipsis praefuit; hinc discipulis assiduis praesidio esse videbas, inde multa simulacra effigiesque a viris illustrissimis acquirere ad alumnorum usum, quorum magnum numerum Romae eius impulsu magna cum laude didicerunt, hodieque etiam discunt, ab excellentissimis patrum operibus doctrinam et afflatus haurientes. Hi ferme Georgii nomini splendidissimam coronam constituent, qualis ex humanis Rumeniae civibus nulli contigerit.

Iassii.

BASILIVS ATHANASIVS.

(1) SENECA, *De tranq. anim.*, 9.

COMMUNIA VITAE

De Paschalibus dapibus.

— Cur tam sereno caelo, tam bella die, aura, sole, mirifice conspirantibus, amice, non utimur? Martius mensis inclinatur ad ultima, suaque iura insequens Aprilis iam vindicat; rapiamus...

*Occasionem de die,
Dumque virent genua...*

— Dumque virent genua — respondit Anicius — Horatius nobis iste importunus aliquando conticescat; qui ne incedere quidem possumus, quin inter crura sese molestus hic interserat domestica peior scopa, atque molestior.

— Macte, Anici mi — reddidi; — prosequere et acrior impetum fac; sic ibis ad astra! Hoc tamen te moneo, Horatium esse muscam, quam

Si expellas furca, tamen usque recurret...

— Proh! — indignans interrupit Anicius — et furca sit illi, tibi que, mihi que, qui, dum hunc expellimus, hunc revocamus, dimittentes per portam et recipientes redeunt per fenestras. Linquamus Esquilias; hic enim Horatio sonant adhuc omnia, Moecenatis domus, viridaria, auditorium; Tiberim petamus...

— O facetum hominem, bene!, rectius!, optime!, ut abigamus hanc scopam nostras inter, et propter et super caligas verrentem! Quippe

*... Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Hetrusco violenter undis,
Ire deiectum monumenta...*

— Pereo — exclamat ille — inter te et Horatium, quasi inter carnifices victima. Sine fugiam utrumque, et conualescam.

— Non feram — sic ego — non patiar, non sinam. — Abite, furciferi, in malam crucem vos, et Horatius et Tullius una vobiscum. Prodire domo volo, ut edam, quippe esurio. Laudabo si veneris, amabo immote; libentius enim comedimus convivantibus nobiscum amicis. Sin autem, nec irascar, nec vituperia dicam, et, quae dapes dapinatae erunt daptice, dapsiliter vel te non auxiliante dentibus in potestatem mei stomachi redigam.

— Neque ultra ista petes?

— Non petam ultra — Anicius inquit; et ego, ne tristis aut succensus iret, sequebar. Nescio utrum ille forte, vel composito procederet. Quidquid fuerit, restitit in magna platea Urbis, quae Circus Agonalis olim, nunc tabernis circa emporiisque, et fontibus in medio celeberrimis apud doctos ut antiquis in more, apud commune populi, « platea naporum » appellatur. Num quia napsus illic homo nec unus, num quia quadraginta inter annos illic omnia quae sunt ex herbis in usu mensarum magno cum clamore et frequentia gentium vendebantur?

Tunc ante fenestram stetimus, aut verius ante dimidiatam portam vitris munitam exterius; interius autem dispositis mensis et abacis desiderabilia quaeque offerentem. Atque hic vide nasuti cauponis industriam et artem vaferimam. Quia ob quadagesimale ieiunium pisces honoris locum habebant, quia dominica dies, subiectae inde carnes, quasi imperitanti Quadagesimae Bacchanalia cessissent. At, quia Pascha est in ianuis, multa etiam erant placentarum earum, quae de more ab urbe dono mittuntur, dum in urbem a finitimis oppidis et longinquis multa redeunt.

— Explebimur, Hyacinthe mi — dixit Anicius — en coram hic adstat

*Apparetque beata pleno
Copia cornu.*

— Nunc, Anici, mitte me in crucem et pestem, quia Horatium saepe in ore voluto, Horatianus quoque tu factus.

Iliacos intra muros peccatur, et extra!

Sed age nunc. Horatium si manducaverimus tota die, ieiuni dormiemus, si tamen ieiunus requiescere quis po-

tuerit. Eligamus quod manducandum cupimus; notabimus; et postea ingrediemur iobentes afferri. — Itaque sic Anicius:

— Sit quadagesimali tempori debitus honor. Pisces eligam, hoc tamen pacto ut iusculum, ut puls omnis removeantur, namque huiusmodi tepida stomachum laxant atque debilitant, et minorem hic exserit in digestionem fessus virtutem. Sit etiam versibus auctoritas, et vel in endo cibo esto. Ego igitur Actio Sincero Sanazario utens haec fero:

Volvite praecipitem, mea licia, volvite rhombum.

Nota igitur rhombum...

— Noto, et addo Virgilium de te dicentem

*... Fastidis omnia, praeter
Pavonem, rhombumque.*

— Quid statis hic scribentes, o pictores mei? — Ita Forfex a tergo conclamat, graviterque manibus nostros humeros percutit.

— Comedenda notamus.

— Ex piscibusne?

— Ex piscibus prorsus.

— Vobiscum ero non aspernabilis conviva.

— Scimus te multa potentem dentibus, et non minus latina scientem; utrum in illis, aut in hoc praestes

Romani certant et adhuc sub iudice lis est.

— Iamque eligam — Forfex ait — tu nota.

— Sum in auribus totus — dixi; —

O! date mi polypos, nullum, et cum dentice, asellum.

— Ecce hominem — Anicius inquit — parvo contentum! Nisi verba rupissem, integrum Piscatorium Actii Sinceri iste intulisset, quem non oceanus natantium populo satiaret.

— Mihi optio circa pisces erat; de sententia rogor: nil cunctatus sacra praesumo: « Cete et omnia quae moventur in aquis! »

Ridentes ingredimur, et officinae praefectum adimus notam daturi. Quam ubi vidit ille, mirari quid esset coepit, et incertus adhuc: — Quot eritis — quaesivit — accumbentes, o domini? Scitanti date veniam, apparanda enim mensa est, apponenda mantilia, mappae, furculae, cochlearia, cultelli, salina, acetabula, lecyti, patinae, patellae, paropsides... Quot eritis ut iuxta numerum praeparem? Nos una voce: — Quot vides. — Ille oculos dilatavit et oculis lustrare quemquam a crine ad talos. Inde facturus cum abiret: — Parabo — inquit — vobis cymbia cum liquaminibus. — Fac — praecepit Forfex superciliosus — de more italico liquamen, non de externo. Aceto appone allium, haleces, mentam, piperina Americana et Asiatica; contere simul omnia, addens ovorum vitellos, atque ubi fere solidum conterendo omne factum fuerit, scito embemma gratum nobis fecisse.

Ille igitur ivit, ursi more, caput hinc inde quatiens, et nescio quae de nobis meditans, quippe, uti postea rescivi, medios inter feroces bestias et amentes iudicaverat.

Nos assidemus in angulo liberiores ut essemus et in sermone et in prandio. Forfex autem, quasi magnum aliquid invenisset: — O stulti nos — inquit — qui Dominico die (hic autem quasi parvum Pascha est) carnibus amandatis, pisce vescimur, quasi Paschalibus dapibus abrenuntiamus! Quid faciemus ergo, qui indicem piscium coquentium et pondus dedimus praefecto tabernae?...

Anicius quaerenti: — Ne turberis, o sodes; quoniam nefas est miscere quadrata rotundis, quadagesimali absumpto prandio, paschale praecipiemus; dum comparatur, dum coquitur exhibimus brevi redituri, et egregia dentibus patraturi.

Sapiens visum consilium; ac ut temporis moraeque fastidium minueremus, Anicius, sacra et profana callens, de Paschalibus dapibus orsus est.

(Ad proximum numerum).

H. DE VECCHI PIERALICE.

ANNALES

Anglorum Russorumque Sinensis aemulatio - Russorum seditiones - Massilienses desertiones - Transvaalianum bellum.

DUM Sinensium negotia ad pacem quietemque late restituendam prospere iam inclinare videntur, erumpit inopinato quae tamdiu latebat Europaeorum gentium aemulatio: discordiae causa Russorum iura cum Anglorum pugnancia. Qui quidem iam illos Mancuriam provinciam, suam tamquam rem, secreta pactione cum Sinensibus inita, dominari male ferebant; sed mox gravius incessit. Ferreum iter a Pei-ho flumine Russis exstruendum relinquitur: huius tramites per Tien-tsin loca Anglis iam datas regiones persulcant: numne Russi milites in Anglorum fines armata custodia prodibunt, numne ipsis arbitrium erit per alienam terram sua opera deducere? Obstantur vehementer Angli; Russis autem recedere renuentibus, ad vim utrinque confugitur; arma sumpta, legiones paratae, aggeres hinc inde exstructi, vigiles positi. Ea inter Galli milites, nescio quo fato, militari disciplina soluti, Anglis publice et ipsi maledicunt, ignominiam faciunt, frustra conantibus tribunis, ut eos in reverentiam reducant. Bellumne inde orietur? Sinenses suis ex ossibus ultionem orituram non sine gaudio exspectant; at frustra: res enim, conspirantibus omnium gentium legatis, ad concordiam evolvitur, conficitur, vacuaeque caede manus trahuntur.

★

Haec vero in Sinis Russis gerentibus, domi iuvenes qui studiis in athenaeis dant operam seditionum auctores fiunt: causa facinoris ineundi excommunicatio dicitur qua « Synodalis Ecclesiae » Patres Leonem Tolstoi damnarunt. Quidquid fuerit, id constat, Petropolitanam cathedralem ecclesiam, dum sacra solemniter aguntur, a contumacibus petitam; repulso a fidelibus pugnam inisse, ecclesiam sacrilego ausu violasse, imo lapidibus et igne vastasse. Concurrent Cosaci milites; praelium committitur, ex quo septingenti iuvenes captivi ducuntur, inque legiones vi cooptantur, ut poenae nomine militent. At seditiones augentur quotidie: captivi iam ad tria millia enumerantur, eadem ne ubique per Russorum civitates contingant vehemens metus est: Bolipoff studiorum summus curator ad sedandum tumultum exiens manuballista vulneratur: Kasporic sicarius plausibus excipitur; desertores operarii iuvenum agmina complent, corroborant, rubrisque vexillis ad civilia praelia multitudo progreditur, non sine magna hominum clade.

★

Massiliae Galli, Russorum amici sociique, eadem ad unguem perpetrant. Baiulorum desertioni aurigae accesserunt, qui currus ubique ab itinere prohibere vi conati sunt tramitesque et funes praecidere et vastare. Supervenientes igitur equitum turmae unguis et ensibus operarios pellunt, qui lapidibus et manuballistis resistunt, et, si quid aliud iaculatu facile est, non parant. Ita militum alter quidam a centurione vitreae amphorae ictu vulneratur; ubique officinae vastantur, dum fabri lignarii, fabri murarii, pistores sese quoque operam deserturos minitantur. Arbitrorum collegio fore ut res deferatur dictitant; quod quidem speramus.

★

Tot discriminum cumulo Transvaalianum bellum mox renovatum additur. Kitchener hostium imperatoribus pacis condiciones obtulerat: eae tamen

ipsis duriores quam par esset visae; itaque, brevi mora interposita Boeris favorabili, qui suos colligere et ad septentrionem versus adducere tute potuerunt, antequam hiems quoque obstaret, ad arma reditum est. Sic belli finis, quem in superioribus annalibus ominabamur, ad incertum neque proximum tempus differtur.

POPPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

IN Anglia de discordiis cum Russis in Sinarum regionibus excitatis frustra administri interrogantur. Hybernii oratores de aeris alieni suscipiendi disceptatione gravem contentionem inierunt, quod disceptandi ritus parum acceptus sibi videretur. Acerrima autem ira exarsit in disputatione, quam de Africano bello tam infeliciter suscepto, Wolseley imperator cum Lansdowne, negotiorum ad externos administro, habuere: Salisbury autem vetuit quominus documenta secreta evulgarentur, eique oratores assensi sunt.

In Austria factionis popularis legati pactione inita a disceptationum impedimento recesserunt, ita ut civitatis impensae publici coetus examini subiici potuerint.

In Chilena republica ob censurae suffragium contra ipsos ab oratoribus latam administri omnes, qui mox, Rivera praeside, cooptati ad munus fuerant, sese abdicarunt.

In Gallia, dum pergit ad finem legis rogatio in sodales religiosos, de saccari commercio disceptatio coram municipibus instauratur, ne mercem a nundinis malis artibus foenatores prohibeant.

In Germania brevi disceptatione habita suppletoria pecunia in Sinensem expeditionem eroganda approbatur.

In Italia de frumentariae rei vectigali minuendo rogatio respuitur. De Veneta lacuna autem aptis operibus servanda coram Patribus agitur.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

Della vita di Gesù Cristo. Libri tre di VITO FORNARI. - Romae iterum ediderunt Desclée, Lefebvre et S., 1901.

Cum, annus est, inter vita functos viros clariores Vitum Fornari recolimus, D. N. Iesu Christi vitam ab eo conscriptam indicavimus quasi monumentum clarissimi scriptoris haud facile aevo delendum. Quis dicat igitur quanto cum gaudio novissimam hanc operis editionem exceperimus, quam haeredes, patri gloriae simul ac pietatis solliciti, assidue curarunt? Si enim animorum mentiumque hodiernas condiciones, si humanae societatis odia, dissidiaque, si res quibus angimur consulto respicientes opus invenire datum fuerit, iter ad pacem ostendens, atque indigitans quo universus hic motus tendat, solatia ad rem praebeat, animum erigat, ad illum plane deducens, qui una fuit et est via, veritas et vita, non id omni laude honestandum signaculum amplissimi consilii? Quod quidem e Viti Fornarij opere de quo loquimur luculenter elucet: centrum enim eius et quasi fulcrum Christus est, Dei Verbum factus homo, Infinita Dei Magnitudo hominis desponsata naturae. Illum autem mundi formam exstare ac fundamentum, perfectionem, legem, redemptionem princeps auctoris mens. Rem sane adumbraverant atque attigerant non semel Ecclesiae Patres; novum vero aliquid scriptor contulit illa potissime explicans, per quae Christus in hominum animos, in historiam, in naturam effundatur. Enimvero liber primus Christi vestigia ante eius adventum inquirat in ipsa mundi origine, creatas omnes res in illum tendere indigitans, e prima hominis conditione, in Eden, ac deinde peccato devincti eadem ostendens. Praeterea in Patriarcharum aetate, in populorum infidelium atque veteris humanitatis historia, quam romanae leges tandem cumularunt, in Hebraeorum denique vicissitudinibus, unde Christus secun-

dum carnem natus est, futurae redemptionis fata prosequitur. Liber alter vitam Christi Iesu in terris enarrat, ex Immaculatae Deiparae conceptionis mysterio; tertius invisibilem Christi vitam post Ascensionem in sua Ecclesia considerat, in Pentecoste, in Apostolatu, in Urbis conversione, in Apocalypsi, in historia universa, ad nostros usque dies illustrans quo pacto Christus suprema hominum meta sit, quam versus humanum omne genus iter facit, ut culpa, ut dolore, ut malo liberetur.

Historiae itaque insigne ac theologiae praestantissimum hoc opus, sed etiam pulchritudinis monumentum eximium; pulchritudinis, inquam, cuius regulas et viam Alligherius, Sanctius, Bonarrotius indicarunt. Hos quidem aemulari videtur Fornarius in totius visionis nexu, in cogitandi profunditate, in partium ordine. Dicendi genus etiam perpolitum, ita ut legentem a primis paginis ineluctabili quadam vi alliciat et ita ad ultimas usque vinctum retineat.

Quare mirum non est viros divinae et humanae scientiae peritos et scribendi arte magistros (inter quos Curci, Acri, Vigliarolo, Mamiani, Belmonte, Capecelatro, purpuratum patrem, nominare iuvat), splendida de hoc libro iudicia protulisse. Capecelatro immo rogatus quibus praecipue libris percussa eius mens fuisset, hunc in primis recensuit.

Quid nobis tot clarissimorum iudiciorum addendum? Spes una aridet, fore ut homines, quem uberem fructum scriptor iure ipsis exspectabat, illum profecto percipiant.

I. F.

AENIGMATA

I.

1) Condio idem et servo; 2) per me licet ire, redire. (1 + 2) Utile nascor olus, sumque salutigerum.

II.

Si dulce extremo, caelesti munere, primum est, Suaviter humanis auribus omne sonat.

I. BATTANIUS.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus sortitus gratis accipiet opus, cui titulus:

AELIANUS

VARIA HISTORIA

Edid. HERCHER (Lipsiae, ex off. Teubneriana).

Aenigmata a. IV, n. III proposita his respondent:

1) Lepus - Lex - Supellex. 2) Aspis.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Franc. Xav. Reuss, Roma - F. Arnori, Mediolano - Alb. Bo; Abr. Morchio, Genua - G. Schenz, Ratisbona - A. Burg, Argenterato - V. Starace; F. Altobelli S. I., Neapoli - I. Walter, Neo Eboraco - Ioan. Cantono Ceva, marchio, Vercellis - R. Genuardi, ex ephebeo Episc. Acensi - A. Mager; E. Dold, Seccovio - M. Belli, Portu Romalino - W. Mathloch, Maja - Princ. Gordon, Mancunio - Societas philologica Mediolanensis - B. Kabrkel Sch. Piar., Praga - D. Le Provost, Briocen - G. P. Z., Modocetia - I. Sernatinger, Dresda - I. Szymaitis, Opitoloki - E. Sosio, Bormio - H. A. Strong, ex athen. Victoriae in Anglia - B. Izdebski, Lublino - V. Cariolato, Vicentia - N. Tarral; I. Brill; G. Maurer; G. Langenberg; Galensches Collegium, Monasterio Guestphaliensi - C. Stegmüller, Sabaria - A. P. Gest, Lambertville - P. Garrone, Pezzana ad Vercellas - V. Lommatzsch, Limbach - Am. Robert, Marieville - B. Vanini, Florentia - C. Szaboj, Rohonczino - V. Vila Sch. Piar., Stella - F. Sallarés Sch. Piar., Sabadello - Ad. Skzypkowski, Swinice - I. Battanius, Volaterra - F. Köhler, Scalka - I. G. Grunes Schol. Piar., Nikolsburgo - Alois, Cappelli, Senis - Rug. Pancaro, Consentia Brut. - Ad. Huza, Grybovio - Mich. Vidal, Palma, in insula Maiorica - Herm. Gini, Taurinis aquis.

Sortitus est praemium

D. LE PROVOST,

ad quem missum est opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS

Scripsit PETRUS ANGELINI.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

PER ORBEM

MARTII mensis imbres cruentum prooemium habuere. Neapolitanus, Panormitanus vulgus prodigio immiti obstupuit: Vesuvium enim Aetnamque montes atra caligo adeoque densa occultaverat, ut nec iuga eorum, nec domuum aut viarum adspectus, nec fluctuum nigricantia capita aliquot post passus amplius videres. Tunc concurrere exterriti ad templa cives terraemotum adesse, aut vulcani ignis eruptionem putantes. Nil autem mirum in tanta re, si Ciceronem testem audiamus (*de Divin.*, 43) maiora canentem: « Quid cum saepe lapidum, sanguinis nonnumquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber effluxit? » Lac maluissem profecto quam sanguinem; at quoniam sanguineas placuit Africae ventis deducere guttas per Europam omnem inferiorem mediamque usque ad Germanos, Berolinenses meteorologicae Academiae doctores iure laudabo primos, qui — prouti fert naturalium rerum evigilans semper studium — edictum dedere civibus, ut purpuratam arenam in regionem iniectam ubique quantum satis esset ad explorandum, colligendas curarent atque ad sese mittendas, qui eam crystallis et igne ceterisque ad rem ritibus penitus investigarent, ad incrementum humanae sapientiae.

Calida itaque litora purpuratus imber funestavit, innocuus autem, nisi quod solis faciem parumper obnubilans atram diem effecit ac luctuosam: contra rigida Alpium iuga nivales oppressere procellae.

In via ad Simplonem montem curram ad epistolarum commercium conferendum immanis glaciei moles praecipuus corruens confregit, viatores quatuor male mulcavit. In Leghebbia monte, ad Helveticos fines, vigiles tres qui vectigalibus solvendis advigilabant, pari infortunio correpti periere. Tradunt autem haec insuper evenisse: cum scilicet militum manus profecta esset ut collapsis auxiliaretur, novus nivei cumulus primos corripuit, evertit, oppressit. Nemine igitur remeante novus manipulus post omnium gressus iter aggredditur. Anxio animo citoque pede milites concurrunt, lustrant undique alpestris vias, voces ingeminant, canes immittunt. Voces tandem vocibus respondent, quarum sonitum sequuti quinque ex decima manu, frigore iam paene rigidos, sed superstitibus invenere. Contubernaliū autem ignota sors; sive densum nivei pondus sepelivit, sive per Helvetica iuga corruentes imam usque in vallem detrusit.

Strenuis civitatis custodibus hoc modo asperae fuit hiemis fatum; apud Serborum vero fines fraudulentis vectigalium violatoribus ultrix vicissim rigida fortuna evasit. Quorum quadruplex manus Danuvium flumen in scapha dum pertransit, supernatans glaciei scolium infidae puppi, vehementi fluctuum cursu abreptum, occurrit, tabulasque statim ac ferramenta disiecit, ita ut omnes, frustra e ripis clamante populo, tumentes aquae demerserint.

Non recolam Massiliensium seditonum iurgia, neque dicam de Deroulède contra Buffet, vel de Rodays contra Castellane singularibus praeliis, quorum primum sollertia Helveticorum vigilum quominus pugnaretur omnino prohibuit, ex altero Rodays, qui *Figaro* diario moderatur, in femore vulneratus discessit; Eboracensem ducem in Australiam cum uxore profectum potius sa-

lutabo. Rex Anglorum regalisque coniux, Victoria princeps, Carolus Danensium princeps foemina, Connaught duces proficiscentibus Portsmouth in portu adstiterunt. Solemnes ipsa in *Ophir* navi epulae celebratae ad optime de itinere auspicandum. Eduardus rex prospera auguria delibans itineri eam esse metam potissime dixit, ut Anglorum colonis Londinensium civium mandato de auxilio tam liberaliter contra Transvaalanas copias conlato grates publice redderentur. *Ophir* recuperatis anchoris portum egressam *Alberta* regia navis aliquantulum comitata est; regrediente autem rege iter post Eboracenses duces prosecutae sunt ad honorem pariter et tutamen loricateae naves quatuor e Gaditano fretu ad rem advocatae, quibus celeritatis naviculae bellicae octo accedebant. Pacificum an bellicum iter susceptum sit ancipiti adhuc animo recogito: ceterum iter facientibus felicia omnia libens auguro.

VIATOR

VARIA

Automobile anfibium.

Liceat *anfibii* nomen inducere ad machinam designandam, qua terra marique pariter in Dania nunc utuntur, auctore mathematico viro Magrelen, iamque viginti et ultra viatorum millia trans maris terraeque tractus devesit. Istiusmodi autem est. Duo sunt lacus ad urbem principem, quam *Haphnia* vocant, quos isthmus tercenta spatians per metra dividit. Automobile Magrelen naviculae simile est, longum metra quindecim, quatuor latum, duas habens ad proram rotas, totidem ad puppim. Instar pyroscaphi tranantem lacus aquas portus accipit, ubi canalis est, in quem impetruit, accipiuntque rotas ferrei axes substrati, qui deducentes in siccum per ferreum tramitem agunt ad alterum canalem alterius lacu, cuius undis potitur. Eundi et redeundi compos gravia impendia fodiendi isthmum removit, nec video causam qua idem grandioribus navibus fieri et longius per iter non possit. Quid si navis a Tyrrheno in Adriaticum, et verso itinere transiret? Nonne sumus audax Iapeti genus?...

Novum ignis lucisque genus.

Id notis longe potentius ac vehementius repertum est, et *carbelite* nuncuparunt. Ita comparari potest: Brevis columnula lamnis ex cuprio et zinco, instar apparatus Voltaici, constans, obvoluta charta, habeat alveolos carburio calcis refertos, ad fluidum, quod *acetilene* dicitur, generandum. Vaso includatur undique clauso, cumque hoc « gazometrum », quod appellant, communicet, inque vas per fistulam stillet aqua acido cloridrico acescens. Statim habebimus una simul *acetilene* fluidum illud, hydrogenum, atque oxigenum incipiens, coniurantibus electridis, et carburii calcis virtutibus. Novum fluidi genus inderumpit, quod *carbelite* nomen accepit, continens, alio nullo admixto, carbonium, hydrogenum, oxigenum; haec duo ultima fluida tamen exordientia, ideoque ad multiformia efformanda optime prona. Tunc singularis machinae conditio et forma certam aëris immissionem in vas concedit, ut varia fluidorum genera, et multiformes horum copulae habeantur, dum apparatus exigua, ut aiunt, pressione agit. *Acetilene*, quod inde exurgit fluidis diversis immixtum, tonandis vim amittit, at quod in tonitruo perdit, sextentis acquirat in vehementia caloris et lucis, atque eo provehitur, ut, in liberum aerem cum deveniat, compos sit

ferum et platinum carboni cuiusvis imposita, et, siqua sint liquefactioni obsistentia, metalla facillime diluere, liquefacere.

*

Num in luce vita?

Quum Belgicae, redeuntis ab Antartico, navis medicus plura, quae subiiciemus, animadvertit, in profundis Musaei naturalium rerum Parisiis experimenta sunt in rem constituta, multos tamen protrahenda per annos. Ad germinantia quod attinet, in aperto est; pallentes, absque colore et vi plantae si orbentur luce, exilesque et exiguae nec virent, nec sobolescunt. De hominibus eadem longe peiora; quippe, ait medicus, atrae tenebrae, silentium, solitudo, frigus, ita faciunt, ut pallidi prorsus effecti, aliquid viride sub cute ostendamus. Stomachus et quae ad vitam potiora sunt, languentia, lenta, pigra; cor, prae ceteris abnorme, pulsationibus modo celerim, modo secordibus torquetur. A corde ad cerebrum via brevis; consensus enim in membris unus, consentientia omnia. Hinc hallucinationes crebrae, spectra coram mente obversantia, moerores subita interrupti laetitia, laetitiae subitis intercisae moeroribus, utraque sine causa, exultatio ac dolor. Eo venire possumus, ut amentiae proximi plurimi videamur. Salus atque consilium una cum redeunte sole redibunt. Haec ille. Num in demeritis curandis magna erit auxiliatrix potentia lucis? Num in curandis morbis haec lux, medico ritu facta super artubus vehementior, salutaris existet? Eo sumus in tempore, quo plura sperare iure possumus.

*

Arcana lacuum connubia.

Relatis non crederem, nisi me doctissimorum hominum, et callide experimenta instituentium magna movisset auctoritas. Lacus Wetter in Suevis, qui abyssus olim, barathrus absque fundo ab incolis putabatur, non ultra centum et uno de viginti metra altus repertus est. At qui haec probarunt, difficultate praepediuntur, qua nec se nec ceteros expedire potuerunt. Undenam enim est illud quod pisces, quod germinantia, non minus quam pisces notis peculiaribus insignita ut cognoscerentur, e lacu hoc in lacum Constantiae, qui inter Helvetiam ac Germaniam finitimus utrisque patet, demigrent? Eadem porro in utrisque lacubus animantium genera et species et vita. Quid ultra? Quoties in lacu illo Constantiensi procella desaevit, lacus Wetter turbatur, et eius undae fragorem insolitum cient; idem vero de lacu Constantiensi dicas quoties procellis lacus Wetter exagitetur. Haec et manifesta et rata sunt, neque tamen reddi potest causa sufficiens, quam novis obvolvunt difficultatibus nunc mediocri illa profunditas, cum inter utrumque lacum mare sit quod Suevicam a Germanica regione dividit, ingenti tractu pelagi terraeque interposito.

*

Ioci.

Novus rogandae stipis modus.

Mendicus quidam diti, ut apparebat e vestibus, obvisus fit, et gravem simulans sollicitudinem: — Domine mi — hortatur — inquire, percense, num sacculum, quo pecuniam servas, amiseris. — Ille gratus subalarem peram... — Ah! — respondit — gratias ago de cura; non amisi; sacculus pecuniarum est hic. — Tum vero mendicus: — Gaudio gaudeo; sed quum ita habeas da mihi, quo famem sedare possim, denarium.

P. d. V.

* FIDES *
quod musicum organum
STRADIVARIUS

CREMONENSIVM ARTIFEX CELEBERRIMVS

CONFECIT

Romae veneunt.

Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE IUBILAEI ANNI MCM ad universam Ecclesiam proposita in commodum confessoriorum a THOMA ARIZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poenitentiariae officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates, quas Summus Pontifex concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur praecipuos casus qui in Iubilaeo proponuntur. Responsa sacrae Poenitentiariae, *etiam recens data, quae opus fuit memorare*, memorantur. Accedunt Constitutio pontificia super extensione Iubilaei et, maxima ex parte, *Monita ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu facultatum confessorii tributarum* excerpta.

Opusculum venit lib. 0.50 apud comm. *Vox Urbis* administratorem, Romae, via Alessandrina, 87.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sissina, 129 - ROMAE

LIBER (vulgo "ALBUM")

praecipua Urbis referens, pulcritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eundem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 x 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

LE LAUDI LATINE

E

IL CANTICO DEL SOLE

DI

SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncola, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequenter ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

VOX URBIS DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

SOCIIS MONITUM

In memoriam sociorum revocamus, cuique eorum, qui chartulam ad hoc acceptam remiserit suo ac duorum e sociis novis subscriptam nominibus, pro duobus tantummodo commentarii exemplaribus solvendum pretium; tertium dono datum iri.

Pretium annuae subnotationis comm. "Vox Urbis" vid. in prima opereculi pagina.